

N. 66. 51.





6
✱

RECTORATUS
ACADEMICUS,
id est,

Orationes,

Quas
Comes EMERICUS
THURZO de Arvva; &c.
RECTOR hactenus Acade-
miæ VVittebergensis &c.
officij causa publicè
habuit.



WITTEBERGÆ,
E Typographéo Johannis Richteri,
ANNO M. DC. XVI.



RECTOR
MAG.
OTATIONES

Commissarius
I. Burcardo
RECTOR
officiarius

ANNO
M. DC. X.



SERENISSIMO POTENTISSI-
MO; PRINCIPI AC DOMINO;

Dn. JOHANNI
GEORGIO,

Saxoniae, Iuliae,

Cliviae, ac montium Ducis, Sacri

ROM. IMP. Archimarschallo & ELECTORI,

Landgravio Thuringiae, Marchioni Misniae,

Burggravio Magdeburgensi, Comiti de Marca,

& Ravensburg, Domino in Ravenstein, &c.

Domino suo clementissimo.

A 2

Itemq^s

Itemq̄
ILLUSTRISSIMO
Comiti ac Domino,
Dn. GEORGIO
THURZO DE
Bettlemffalva; Comiti de Arvva,
Ejusdemq̄; Comitatus Comiti perpetuo &c. Re-
gni Hungariæ Palatino, Judici Cumanorum; Sa-
cratissimæ Cæsareæ, ac Regiæ Majestatis In-
timo Consiliario, & per Hungariam
LOCUM TENENTI,

Domino PATRI suo carissimo:

Humilimè
Dedicat, consecrat q̄

Comes Emericus Thurzo, de
Arvva; &c. Academiæ VVitteber-
gensis hæctenus Rector.

Nihil

Nihil in vita ho-

minum, vitâ est gratius,
nihil antiquius, nihil quod æquè
omnes, & amemus impensius, &
tueamur studiosius. Adeò qui-
dem, ut senes sæpè inviti, & æger-
rimi quiq; ægerrimè illinc emi-
grent. Tanti nimirum VITA ha-
betur, quæ tamen cum reliquis a-
nimantibus nostro generi com-
munis est, & brevissima, erumno-
sissimaq;. BONA vero VITA quæ
hominis & propria, & æterna
possessio est, vulgò ita negligitur,
ut à multis etiam lōgè spernatur:

A 3

quip-

quippe quibus potius curæ est, ut
diu vivant, quàm ut benè. Secus
quàm in comedijs fit; de quibus
non quæritur quàm diu sint actæ,
sed quàm benè. Certè quemad-
modum coenam, quantumvis
longam, nemo probat, nisi & bo-
nam: Ita nec vita quamvis longif-
sima, nisi bona etiam sit, vitæ no-
men, laudemq; meretur. Vidit id
Illustrissimus Dominus Parens
meus, qui cum lucis hujus post
DEUM immortalem auctor mihi
extitisset, non satis esse censuit si
viveret sibi filius; sed & ut benè
viveret, voluit, omnique cura &
sum-

sumptu curavit. Quam pietatem
SERENITAS vestra, ELECTOR Po-
tentissime, Domine clementissi-
me approbavit adjuvitq; beni-
gnissime; dum non solum ex di-
tionum suarum scholis illustri-
bus in Hungariam misit, quorum
sedula & fidei informatione pro-
ficerē: sed & me ipsum tandem in
Academia suā recepit, receptum
Patribus conscriptis erudiendū
commendavit, summisq; tandē
in Republica illa honoribus auxit
atq; decoravit. Ingentia hæc sunt
beneficia, & omninò non cōpen-
satione tantum mea, sed & cogita-
tione

tione majora, iccircoq; paucis
hic potius attingenda, quam mul-
tis attenuanda. Ingentia sunt, &
supra omnem gratiam sive ha-
bendam sive agendam. Ita ut æ-
ternum debere cogar; imò & lu-
bentissimè velim, cum digna
reddere nunquam possim. Quam
debitonem ut aliqua interim
quasi pensiuncula profitear, SE-
RENITATI VESTRÆ, Elector Po-
tentissime, Domine clementissi-
me, vestræq; Illustrissimæ Celsi-
tudini, Domine Pater carissime,
Tabellam hanc offero, qua non
tàm studiorum meorum ratio-
nem,

nem, quàm animi subjectissimi
debitam gratitudinem, & ad ser-
vitia quævis humilimè præstan-
da paratissimam semper prom-
ptitudinem, patefactam testa-
tamq; volo. DEUM veneror, ut
tantos Benefactores mihi, inò
Germaniæ & Hungariæ, univer-
sæq; Christianitati salvos diu &
incolumes præstet. Witte-
bergæ Cal. Maij Anno
cIo. DC. XVI.



B

III



I.

ΕΠΙΓΡΑΜΜΑΤΑ

AD

ILLUSTREM ET MAGNIFICUM

Dn. Comitem EMERICUM

THURZO de Bethlemffalvva, Comitem perpe-
tuum de Arwa &c. Academiae Wittebergensis hacte-
nus RECTOREM &c.



Vis mihi quis voces, cantusq; tubasq; canoras,
Quis lituos dederit, totus quibus insonet orbis
Laude mei Comitis? tende o mea buccina

vires

Tende tuas, montesq; omnes, nemus omne, fluenta
Omnia, qua mundi patet orbita triplicis, imple,
Audiat ipse Helicon, sedes antiqua sororum
Parnassusq; virens & Castalis; audiat Albis:!

Sic Comes est meritis, qui se vulgaribus auris
Subtrahit, qui virtutes & fortia facta
Imbibit Heroum: Suadaeq; volumina versans:
Non raro egregium specimen virtutis & artis
Numinis auxilio profert in luminis auras.

Hunc dulcis pietas, virtus, Themis aurea, Phœbus,
Condecorant: hic Magnatum volitare per ora,

Et

Et solidæ didicit præconia quærere famæ.
Non secus atque arbor fœcundo stemmate ramos
Explicat, & blandas sua brachia tollit in auras:
Sic tu *Thurzo Comes*, decus immortale tuorum,
Excutis occultas generoso pectore dotes,
Quas non ulla dies abolebit, nulla vetustas.
Salve, vive, vale: tua te Comes optime, virtus
Evehat aurato longè super æthera curru:
Lethæis virtus nunquam sinat incluta facta
Fluctibus immergi: tenebrisq; obvolvier atris.

*Animo ad obsequia & studia quacunq;
paratissimo, adponebat
Johannes Osztrozit de Ghyle-
thinez & in Ilavva. &c.*

II.

S*I sermo est index animi, si mentis imago,
Si, quod in occulto est corde, latere vetat:
Prudentem doctamq; tibi mentem esse necesse est,
Quam prudens adeò doctaq; lingua refert.
Si sermo est index animi, si mentis imago:
Crede quoq; ex animo dicier ista meo:
Vive, EMERICE COMES, longum, patriæq; superstes
Pectoris ac linguæ viribus affer opem.
Franciscus Paczoth de Beki, & in
Nagy Tharkany.*

B 2

Salve

III.

Salve EMERICE Comes: nam Te, præfagio,
 salvo,
 Salvebit pietas, & pietatis honos,
 Docta, puto, tersè fandi pollentia: rarum,
 In Juvene exemplum, rarius in Comite,
 Scilicet, ut fulvo spectatur Jaspis in auro:
 Sic Tua prælustri in stemmate docta Charis.
 Perge ita: vix similē Tibi nutriet Hungara tellus,
 Qui Patriam doctâ Nobilitate juvet.
 Ipse ego dum vivam: meus & pro-filius ille,
 Dicemus, salve; Salve EMERICE COMES.

Observantia & memoria ergò

f. Witteberga

Fridericus Balduinus D.

d. 3. April. 1616.

IV.

THURZO tuam ut plaudens audit ACADEMIA
Suadam,
 Mox ait; O salve, qui Novus Hospes ades!
 Dixerat, & subito prelum parat, imperat: Ede
 Come mei COMITIS proloquium, ede foràs.

En

*En dictum, factum! Prodit THURZONIA Suada,
Prodit, & acclamant pulpita cuncta Schola:
Vivat THURZO COMES, vivat! sit adorea PATRI,
Sit clypeus Patriæ, sit Pater ipse Bonis.*

*Ita vovebat ex animo
Baltasar Meisnerus D.*

anno

HVngariaM ConserVa o DeVs.

V.

*S*extus abit Mensis, COMES ILLUSTRISIME, quando
Exhibuit privæ præclara exempla palæstræ
SVADA Tuæ. Nunc publicitùs Te Diva theatro
Sistere non verita est eadem. Stupère Senatus
Leucorei Patres: stupuit studiosa Juventus.
Et pro se Tibi quisque, suo benè-fausta precatus
Fata animo, egregiam de Te sub pectore fixam
Spem fovit, simul atque in tam juvenilibus annis
Audiit orantem doctaq; graviq; Minerva:
Det DEUS, ut quem nunc monstravère Lycei
Leucorei fasces, divinis dotibus auctum;
Pannonis hunc olim PATRONUM sentiat ora.

ita vovet

M. Erasmus Schmidt, Græc: & Mathem:

Professor, & Alumn: Elect: Saxon: Inspector Witebergæ.

VI.

*T*E, Comes Illustris, quo non generosior alter,
Magnificum celebrat Leucoris alma DUCEM:
Teq; ORATOREM, quo non facundior alter,
Et studiosa cohors audiit, & stupuit:

B ;

Te

*Te DISSERTANTE M, quo non argutior alter,
Theologi experti, Philosophiq; probant.*

Ergo quæ DEUS ampla dedit dona, augeat, ornet:

*FORTIS UT ÆTERNUM SIS DECUS
HUNGARIÆ.*

Jacobus Martini Logices & Philo-
sophiæ Practicæ Prof. P.

VII.

Hostiles quicunq; ardet populare catervas,
Martaq; in capto ponere castra solo,
Atq; humeros grato respersus pulvere belli
Inter laurigeros ire sublimis equos;
Ante leves simulat pugnas, & prælia ludit,
Discit & in parvâ, maxima bella, causâ. (terni)
Tu quoq; THURZO Comes, *Commilito Magne, Pa-*
Quem spectant fasces, & decora alta manent,
Volsellis primò pugnâsti in pulvere, ut enses
Jam demiretur publica arena tuos.
Atq; ad nostra prius finxti subsellia linguam
Qua posset quondam Patria tota loqui.

*Ita voveo fortissima, sed & affli-
ctissima Hungaria.*

M. Jeremias Spiegelius; Orato-
riæ Professor Publ.

Dîs

IIX.

Dis orte Heroum sanguis, spes THURZO, tuorum,
 Sospite quo felix Patria semper erit,
 Desine tantarum præconia poscere laudum,
 Et nomen nostris quærere carminibus.
 Non opis externæ, non quæsitæ indiga laudis,
 Sola tibi virtus omnia THURZO tua est.
 Carmina sufficiant multis, tibi tota Pyrene
 Non satis, & quantum Castalis unda fluit.
 Cœpisti suprema alijs quò finis: & ante
 Quàm tibi ridentes flora iuuenta genas
 Vestiret, metam ecce! tenes, & præmia ducis,
 Quæ poterant pauci vix tetulisse senes,
 Si JUVENIS tot ferta meres tantasq; coronas,
 Non HELICON sat erit, tota & IDUMA seni.

Augustus Puchnerus Poëtic.
 Professor P.



Pro-

PROGRAMMA PUBLI-
CUM QVO INVITABATUR JU-
ventus studiosa ad Statuta Academiae
aufcultanda.

RECTOR ACADEMIÆ
VVITTEBERGENSIS

COMES EMERI-
CUS THURZODE BETH-
LEMFFALVA, LIBER AC HÆREDI-
tarius Comes de Arvva, Ejusdemq; Comitatus Arvensis
supremus ac perpetuus Comes &c.



Irari aliquis non immeritò possit, cur
præceptum DEUS de frequentissimè
repetenda Legis sue lectione ac medita-
tione aliquoties iterare atq; inculcare
voluerit. Verba hæc, inquit Deut. VI. v. VI. Quæ
ego vobis hodie præcipio, in corde habetote, &
filijs vestris inculcatote: de his domi belliq;, de

his

his cubantes surgentesq; loquimini: Hæc manibus vestris insignia alligatote ; hæc inter oculos frontalia habetote; Hæc domorum vestrarum postibus, & portis vestris inscribitote. Ejusdem libri c. XXII. v. XII. lex de fimbrijs in quatuor angulis vestimentorum faciendis breviter repetitur ; quã legem Num. XV. v. XXXIIX. & seqq ita traditam legimus: Admone Israelitas, ut in posterum fimbrias in vestimentorum suorum limbis faciant; ut eis videndis omnium præceptorum DOMINI recordentur, nec sequantur cogitationes suas, sed magis præceptorum DOMINI memores, ea faciant, Deoq; suo sancti sint. Verùm enim verò novit Deus, quale figmentum homo sit, ejusmodi scilicet, quod omnem animi cogitationem & conatum, omniaq; studia inde à pueris ad deteriora in dies singulos conferat. In primis verò ita comparatum esse ingenium hominum, ut quemadmodum illa, quæ ad oculos non revocantur, neq; in usum sunt, neq; manum quotidie tactumq; patiuntur, facilè periculum situs adeunt: ita quicquid frequens cogitatio exercet ac renovat, id memoriæ nunquam subducatur, quæ nihil perdit, nisi id,

C

quod

quod non sæpè respexit. Itaq; gratiæ semper a-
gendæ Deo qui nihil prætermittit, ut nos in via
veritatis retineat; & si quando aberravimus, ut sa-
nè aberramus sæpissimè; clementer nos revocat,
ac reducit. Cæterùm illud quoq; consideratu di-
gnissimum, quòd cùm Deus in omnibus Decalo-
gi præceptis singulos, non plures appellarit, quasi
ad unum hominem ea dirigantur, ut magistratus
ac subditos, primos imosq; inter se exæquaret: De
hujus præcepti observatione peculiari lege Reges
commonefacere voluit, cujus legis verba singula,
si sapiant, in auribus Principum tonitrua esse præ-
clare Joannes Saresberiensis scribit. Extat a. illa.
Deut. c. XVII. v. XIIII. & seqq. Postquam federit
Rex in folio regni sui, hanc sibi legem, accepto à
sacerdotibus Levitis exemplari, in volumine de-
scribito, eamq; apud se habeto; omnibusq; diebus
vitæ suæ legito, ut discat Dominum Deum suum
timere, omnibusq; hujus legis verbis atq; institu-
tis pareat. Regum utiq; & magistratuū gesta, vir-
tutū incitamenta; & quæ illorum verba, tot mo-
rum institutiones sunt. Ut ergo legendæ sine inter-
missione legis laborem & exercitium nemo sibi
mole-

molestum existimet; exemplum universis proponitur ipsius Principis, qui legem & quotidie & omnibus diebus vitæ legere jubetur, quasi qua die legem non legerit, ea non dies ipsi vitæ, sed mortis sit. Tum enim magistratus officio suo laudabiliter funguntur, cum in splendore publicæ dignitatis memores sunt propriæ conditionis, & sic attendunt propriæ conditionis statum, ut non deventent publicæ dignitatis gradum. Hujus legis considerationem dubium non est, quin ante oculos habuerint illi, qui statuta in communitate ac societate Academicâ magistratui Scholastico non minus, quàm ipsis Scholasticis religiosè servanda tradiderunt. Obligatum enim cujuslibet semestris Rectorem volunt, ut indicto per publicum programma Scholasticorum conventu, tum recitanda & prælegenda curet Universitatis statuta, quibus discipulorum præcipuè vitam, moresq; & actiones gubernari voluerunt; tum orationem instituat partim ante statutorum prælectionem, partim post eandem jam peractam, temporis præsentis & muneri suo convenientem & accommodatam. Cùm ergo ante oculos nobis observentur non so-

lùm statuta Fundatoris Academię hujus, Principis
laudatissimi; verùm exempla etiam eorum, qui ex
Principum, Comitum, Baronum, & Professorum
publicorum ordine ad clavum hujus Academię
sedentes, nihil istius legis observatione habuerūt
antiquius: Decrevimus crastino die, Christo pro-
sperante, muneris nobis demandati hac in parte
officio pro virili satisfacere. Quia in re etsi solam
hanc significationem satis momenti habituram
confidimus apud universos & singulos, qui juris-
dictionem agnoscunt Academicam, ut ad auscul-
tanda & Statuta, & ea, quę in medium à nobis pro-
ferentur, cras hora IX. in Auditorio Collegij D.
Friderici maximo, frequentes adsint: Tamen ita
sibi persuadeant singuli velimus, quantò prolixi-
ùs & cumulatiùs observantiam erga Fundatorem
laudatissimum in hoc officij genere suam declara-
verint; tantò id nobis gratius & honorificentius
futurum. P. P. Mensis Decembris
die XVII. Anno Christi
M. DC. XV.

ORATIO



ORATIO
Habita publicè in
Auditorio Theologorum, ante-
quam leges Academicæ recitarentur.

d. 18. Octobr. Ann. 1615.

Superioribus diebus, cum Reveren-
dorum, Clarissimorum, & Excellen-
tissimorum Dominorum Professo-
rum autoritate, injunctum mihi Re-
ctoratum obire inciperem; memini
Excellentissimum item, & Consul-
tissimum Virum Dominum Uilhelmum Förste-
rum, Rectorem emeritum, Studiosam Juventutem
quàm fidelissimè diligentissimeq; cohortatum: Si
tranquillitatem, si libertatem, si dignitatem, si salu-
tem deniq; & suam & publicam charam haberet,

C 3

ut,

ut, quae leges, & statuta à Serenissimo nostro Ma-
gistratu sanctissime atq; prudentissime sancita sunt,
eis morem gereret, vitamq; suam omnem accommo-
daret. Quam cohortationem etsi non prae ter ve ct am
esse aures vestras, sed in animis plerorumq; in sedisse,
sciam: Facere tamen pro meo erga vos amore, nec po-
tui, nec per Academia nostrae consuetudinem debui,
quin etiam quae de legum autoritate saepius repetita
memoriaq; vestra infixae sunt, confirmarem, peniti-
usq; inculcarem. Quamvis per vos ipsos etiam scia-
tis, sine his nec domum ullam, nec civitatem, neq;
gentem, nec hominum universum genus stare,
nec rerum naturam omnem, nec ipsum mundum,
posse, Quippe qui & ipse corrueret, nisi divina
mente, certa q; ratione ac lege astrorum ordines, anni
tempora, dierum noctiumq; vicissitudines, mensium
temperatio, quaeq; usui ac voluptati humanae gignun-
tur, regerentur, ac dispensarentur. Equidem si na-
tura humana, boni quam mali esset appetentior, pos-
semus fortassis legibus carere; quemadmodum nec
opus haberemus medicorum auxilio, si non esset cum
morbis colluctandum. Ut vero luxum consecuti
sunt morbi, morbos repentina mors, cuius deinde me-

tu

tu Medici quesiti sunt: Ita morum vitiositas legum ferendarum necessitatem attulit. Quæ quidem medicina tanto præstantior est eâ, quam vulgò Medicinostri profitentur, quanto anima humana corpore, & organo suo est nobilior. Illa enim circa terreni corporis curationem occupata est, hæc verò cœlestem planè ac divinam particulam auræ à corruptela defendit. Illa, quod mortale est, non eripit morti, sed servat diutius traditq; validius: Hæc verò quod alioqui periturum erat in æternam famam vitamq; asserit. Itaq; etsi utriusq; necessitas & utilitas est maxima: major tamen ejus est, quæ majoribus periculis obnoxiam animam servat. Sensus enim corporis humani, non parens, non nutrix, non Magister, non Poeta, non Scena depravat, non multitudinis consensus abducit à vero. Animis omnes tenduntur insidiæ, vel ab iis quos modò enumeravi, qui teneros & rudes cum acceperunt, inficiunt, & flectunt ut volunt: vel ab ea, quæ penitus in omni sensu implicata insidet, imitatrix boni voluptas, malorum autem mater omnium: cujus blanditiis corrupti, quæ natura bona sunt, quia dulcedine hac, & scabie carent, non cernimus satis. Re-

Et ore

ctore igitur hic opus est, illa scilicet vitiorum emen-
datrice, commendatrice virtutum, L E G E: cuius
auctoritate doceamur, domitas habere libidines, coer-
cere cupiditates; nostra sic tueri, ut ab alienis men-
tes, oculos, manus abstineamus. Hoc fundamentum
firmum est, quo Resp. fulcitur, atq; continetur: hac
anima & spiritus vitalis civitatum, hac denique
Murus Magistratus, Murus autem? Imò Magi-
stratus ipse. Ut enim ille, vox legis, ita haec tacens
quidam est Magistratus. Non enim vel ipse Legis-
lator exlex est; sed primus & maximè cancellis le-
gum inclusus. Mali itaq; doctores sunt, Qui à legi-
bus ipsum eximunt, & cum Caligula censent: omnia
ipsi, & in omnes licere: Sive cum Salustiano Mem-
mio: impune quidlibet facere, id esse, Regem esse.
Abite, qui haec alia docetis, & qui discitis. Qui pra-
est Justitia, ad eam praeat, & exemplo commendet,
semperq; cogitet, nunquam sese eò pervenisse, aut per-
venire posse, ut superiorem non habeat L E G E M, ad
quam appellari aut provocari possit. Agnovit id
Philippus Macedonum Rex, Magni filii magnus
Pater. Dicebat apud ipsum causam Machetas qui-
dam; & Philippus parùm intentè visus audire, &
re

re non bene cognita damnasse: Machetas non tulit,
& Macedonica ac militari libertate, Appello, inquit,
Philippus miratus & iratus; Tu à Rege? Et ad
quem? Machetas: Ad ipsum te, inquit, sed vigilan-
tem, & Philippum sobrium: id est diligenter, secun-
dum leges, non affectus judicantem. Quid ad hac
Philippus? num indignatus est jura sibi prelatam?
Minimè verò, sed & injuriam Macheta factam, &
legum, se longè majorum, auctoritatem agnovit, ma-
luitq; pœnitentiam, pœnam suam facere, quàm Ju-
stitiam subditam. Iure merito sanè. Lex enim, Pin-
dari sententia, deorum atq; hominum regina est, Lex
nihil aliud nisi recta & à numine divino manans ra-
tio, nisi natura vis, mens ratioq; prudentis. Deo igi-
tur paruit Macedo, cum legibus sese subjiceret, Na-
tura rationiq; obtemperavit, cum sana legumlatorũ
sententia morem gereret. Nec verò de omnibus in-
Universum etiam Ethnicorum legibus hoc acceptum
velim: quippe in quibus non pauca inepta & ridicu-
la, nonnulla etiam impia ac nefaria à Deo sanaq; ra-
tione alienissima, sancita sæpè reperias: Non de his,
sed de illis sermo est, quatum Philosophorum saniorũ
laudem merita olim sunt, tum etiam sacrarum Scri-
ptura-

D

ptura-

pturarū testimonio confirmatæ. Hæ non Iovē aliquē,
aut Mercurium, aut Egeriam, id est fures & adul-
teros: sed DEUM ipsum optimum maximum, totius
hujus Universitatis Parentem ac opificem, autorem
sui latoremq; agnoscunt. Hæ mentibus humanis oc-
culto quasi stilo impressæ atq; insignitæ, hæ DEI di-
gito in tabulis insculptæ sunt lapideis. His & verus
de numine divino sensus, & recta conservanda nostra
societatis via aperitur. Id quod prudentissimè anim-
adverterunt, pientissimèq; statuerunt, Academia
quoq; hujus Autores fundatoresq; Serenissimi: qui
cum proprietate sua, quæ clarebant singulari, prom-
nificientia, quæ illustres erant, Principali, sumtibus
ingentibus sedes has studiorum nostrorum constitui-
sent, ante omnia in id incubuerunt, ut tanta, quæ hic
viveret multitudo Legum statutorumq; tanquam
muro contineretur munireturq;. Condiderunt itaq;
leges numero quidem paucas, pretio verò aureas pla-
nè & inestimabiles: Neve sanctum hoc & inestima-
bile depositum obscuraretur, aut studiosam Juventu-
tem lateret, non tantum publicis typis exhibitum est;
ad exemplum Romanorum, qui duodecim tabulas
publicè proponere, & ut Poëta loquitur:

Verba

— Verba minantia fixo ære ligabant:
sed & quolibet semestri publicè perlegi consuevit. Id
quod hac etiam vice, atq; hoc potissimum tempore
propterea fiet, quòd Satana consilia, quibus plerumq;
festa Christianitatis præcipua, quale nunc etiam præ
foribus est, turbare solet, nemini nostrum sunt inco-
gnita. Vestrum erit Viri Ornatissimi, auditores lon-
ge carissimi quæ prælegantur, vacuis benignisq; au-
ribus audire, audita animo pio pensitare, pensitata in
intima cordis penetrare recondere, recondita proba
modestaq; vita exprimere. Id unice cogitantes,
Eâ virtute, & sapientia tum Principes, tum cæte-
ros majores nostros fuisse, ut in legibus scriben-
dis nihil sibi, nisi salutem atq; utilitatem
omnium vestrum proposu-
erint.



D 2 ALLO.



ALLOQVIUM

Post Legum recitationem.

AUdivistis, Cives Academiae Nostrae ornatissimi, quae Serenissimi nostri Electoris, imò quae Dei Opt. Max. vox atq; sententia, quodque nostrum omnium votum sit ardentissimum. Nul-
lus dubito, quin legum audiendarum gratia qui convenistis, multò magis salutis consequendae causâ, illas sitis observaturi. Quod si feceritis, vi-
vetis: Et quemadmodum nautae, qui turrium fa-
ces observant, facilius portum inveniunt, ita vos
ad sidus illud legum, actiones vestras dirigentes, &
juventutis affectuumq; fluctus tutò evadetis, & in
senectute beatum tandem portum invenietis. Id
quod ego universis atq; singulis calidè voveo pre-
corq;. Cæterum etiam vobis, Magnifice, Reve-
rendissimi, Clarissimi atq; Excellentissimi Viri,
Pro-Rector, Collegæ, ac Fautores Patrum instar
mihi venerandi, gratias ago maximas, quod gra-
vissimis licet occupationibus distracti, huc tamen

VOS

vos conferre, & solenni legum nostrarum recitationi præsentia vestra autoritatem accommodare non dedignati fueritis. Fecistis rem tum Deo, Serenissimoq; nostro Magistratui placentem, tum etiam universæ nostræ Reip. Academicæ utilem; mihi vero gratissimam, officijsq; gratissimis vicissim compensandam.

Servet DEUS & Legumlatorem Tutoremque Serenissimum nostrum Electorem, cum Serenissimo Domino Fratre, atque adeo universa inclyta domus Saxonicæ Familia, & vos legum Inspectores vigilantissimos, dignissimos, vosq; tandem Legum studiosos piosq; observatores nominis sui divini gloriæ, Ecclesiæ Reiq; publicæ commodo, bonoq; immortalis.

D I X I.



D 3

II. ORA-

II. ORATIO.

Habita ad Decanum & Collegium Philosophicum; cum tertij examinis publici remissio Candidatis peteretur. d. 15.

Martij Anno 1616.

Dicturo mihi in tanta eruditissimorum virorum coronâ, mens linguaq; labascere videntur. Nec mirum certè. Sive enim eos coram quibus mihi agendum est spectem, sive ingenij mei tenuitatem pensitem, tantum abest ut satisfacere proposito meo possim, ut potius vox ipsa destituere me videatur. Conspectio enim ex una parte Patrum Conscriptorum, Reverend. Clar. atq; Excellent. Dominorû Professorum ordinem Augustissimum, ut & ex altera Candidatorum numerum spectatissimum. Non nescio autem & Tyronem me Oratoria esse, & id agendum suscepisse, quod olim vel eruditissimi quiq; non sine metu præstare potuerunt. Nescio tamen quo muneris mihi commisi stimulo, Legumq; (quas mihi violare religio semper fuit) autoritate, & non rarò probata Auditorû Excellentiss. Spectatissimorumq; benevolentia ad facienda verba excitor, animor, &

nunc

nunc quasi protrudor. Ubi equidem non alienum ab hoc loco ac tempore fore arbitratus sum, si quemadmodum Excellentissimum Consultissimumq; Virum V Vilhelmum Försterum Rectorem emeritum, præterito semestri de Athenis, earumq; splendore, atq; ornamentis, Stoicorum Peripateticorumq; egisse memini: Ita ego eodem argumento quasi sub oculos revocato tum de veterum, tum potissimum de nostrarum scholarum Academiarumq; in Republica fructu atq; usu agerem, ostenderemq;, Præstantissimos semper heroes ex illis tanquam ex equo Trojano egressos ad Rempubl. administrandam felicissimè accessisse: ita ut Scholæ rectè dici possint, seminaria Rempublicarum. Quæ quidem assenti jam dudum omnes Auditores mihi astipulari, atq; si non oculis, tamen animo annuere animadverto. Quis enim eo animo esset, ut veritati quæ hinc evidentissimè elucet, & quotidianæ experientiæ, quæ hinc palpabiliter apprehenditur, reluctari possit, aut velit? Cum enim duo sint, quibus Respublica benè atq; salutariter regitur, Virtus & Prudentia, sine quibus non solum infirmum est imperium, sed ausindicere nullum: Omnis opera eò conferenda est, ut qui ad Rempublicam admoventi aliquando volunt, divas has quàm maximè propitias ac familiares sibi reddant retineantq;. Ubi verò sacris illius initiari imbuiq; possumus, quàm in scholis & Academiis nostris? Hæ sunt officina pietatis & Virtutis; Hic enim Theologia Sol atq; Regina reliquarum disciplinarum proponitur, fideliterq; juventuti inculcatur

catur. Quid autem Theologia aliud quàm pietatis virtutisq; VIA REGIA? Unde Prudentia melius hauritur quàm ex his literariis fontibus? Quod enim aliàs longo rerum usu esset assequendum, id Mater Prudentia, Litera, quæq; in iis regnat, Historia, tibi brevitatis spatio cum summa jucunditate demonstrabunt. Qualia profectò non inter illiteratos inveniemus, qui non nisi presentia curant, præterita verò contemnunt, futura negligunt: Verùm in Liceis atq; Academiis; in quibus educatos atq; institutos, plerumq; evasisse Prudentissimos, juxtaq; Pientissimos, adeoq; Reipublicæ regendæ peritissimos, quotidie præ oculis videre licet. Ecquis enim unquam præclarè aut laudabiliter Rempubl. gessit, qui non vel ipse è Scholis egressus est, vel eorum consilio rectus fuit, qui schola suam prudentiam acceptam tulerunt. In illis agmen ducit, qui Principatum, Julius Cæsar, ille Martis haud minus autem & Musarum pullus. Scripta eius id docent, quorum pauca extant, pleraque magno cum damno Reipubl. perierunt. Quæ tamen iste inter ipsos rerum civilium aut militarium æstus jactationesq; confecit. Nec in itinere quidem vacuus; sed amanuensem, in vehiculo apud se habens dictansq; aut legens. In itinere Hispaniensi, spatio 24. dierum, sive, ut alij volunt, septem, poema composuit, quod inscripsit ITER. In ipsa Hispania sub tempus Mundensis prælij in medio armorum æstu, libros duos de Analogia confecit, & totidem Anticatones. Cujus vigilantiam & simul indefessum ingenium Plinius ita describit: Quod scribere & legere simul, dictare

dicere & audire potuerit. Epistolas verò maximarum rerum quaternas pariter librarijs dicere valuerit. Hic verò, unde egressus est? Annon ex scholis? publico illo gubernatorum maximorum seminario? An non literarum causa patriam deseruit, Annon Rhodum ipsam accessit, ubi vim illam eloquentiae, qua pollebat naturali, ita sub Molone, clarissimo dicendi Magistro, auxit, ut orationem ejus luculentam, Tacito teste, posteri non sine admiratione legere possent. Unde qui ipse erat eruditissimus, magno in honore Eruditos & omnis disciplinae professores habuit, & civitate splendidissimis q̄ saepe muneribus donavit: Eum verò innumeri alij secuti sunt. Equidē non eo per singulos Imperatores, ceterosq̄ heroes Ethnicos, nam quis eorum non ferē talis fuit? Usq̄ adeo ut Marco Antonio Philosophi cognomen haerit: Ciceroni qui & Consul fuit, Patris Eloquentiae, imò ipsius Eloquentiae nomen tribuatur. Ut de reliquis vel 600 ne mentionem quidem, (quod sine stupore fieri non posset) faciamus. Transibo itaq̄ ad Christianos qui & Christo & Musis erant addictissimi. De Theodosio Juniore traditur, eum historias Graecas Latinasq̄ assidue evoluisse, tam pertinaci in libris studio, ut cum diem militariibus aut civilibus occupationibus daret, noctem ijs seponeret. Caroli autem Magni amorem & honorem in literas multa loquuntur; Cum primis verò quod undiquaq̄ doctos convocare, illos honorare, illorum scriptis delectari solitus fuerit. Quem secutus Robertus Rex Neapolitanus. Ei enim etiam literae & litterati tanto amori fuerunt, ut dicere non dubitavit: Chariores sibi lite-

E

ras

ras regno esse. Non absimilis huic Alphonsus Magnus, qui
Et ipse in eodem regno fuit. Neque enim semel edixit: Malle
se omnium regnorum, (septem autem numerabat) jactu-
ram facere, quam minimam partem doctrinae. In mea
Patria quoque habebamus heroem ut fortissimum, ita lite-
rarum amantissimum, studiosissimumque, Matthiam Corvi-
num, Regem, qui praeterquam quod Italos, Germanos, Gal-
losque ad Professionem humaniorum litterarum evocavit:
Collegium Budae magnificentum inchoavit, (nec enim perficere
vix durante potuit) Bibliothecam ibidem in ipsa Regia in-
stituit, quae hodie in manus Barbari, cum potiore Hungaria
parte, pro dolor! devenit.

Certè quos nunc enumeravi, non nisi in eorum numero
habere possum, qui è Scholis egressi sunt, quique scholis, quic-
quid magnificè gesserunt, acceptum retulere. Sed missis ex-
emplis veteribus praesentia videamus, quorum agmen vel
ipsa Germania dabit. Quot hic per DEUM Imperatores?
quot Electores? quot Principes enumerari possent? qui om-
nes Et litterarum amantes Et earum Patroni jure dicen-
di. Sanè si omnes enumerare vellem, Et tempus, Et verba
me deficerent. Intueamur saltem domum Serenissimam Et
Augustissimam Saxoniam, sub cujus tutela vivimus Et pa-
ce gaudemus. Annon ea literis pariter atque litteratis sem-
per gavisata est? Certè Academias quas praeterquam pluri-
mas alias scholas, sua pietate constituit, munificentia auxit,
clementia ornavit atque conservavit, summo in pretio Et the-
sauri maximi carissimique loco habet. Nec amavit solum
litteras

litteras sed & coluit colitq;. Quippe quæ non tantum Doctores ex Academia in aula quam plurimos semper evocavit: verum etiam ex aula sese in Academiam pietatis & doctrinæ causâ clementissimè demisit. Quæ enim amamus, ea sequi, & quæ sequimur, amare ferè solemus.

Erexit è fundamento Academiam hanc nostram VVittebergensem, protexit splendide, ornavit munificè, & hodie etiam ornare non desinit, neq; vel litterarum cultores, vel religionem veram ejusq; ministros & cultores honorare, & gratia sua singulari complecti desinet unquam. Vivat vigeatq; hæc Augustissima domus, Dum cœlum stellas dum vehet Albis aquas, Quæ vel unica omnibus Illustrissimo exemplo atq; imitationi hodieq; esse posset; Confusioni autem ijs qui hanc virtutis stellam, hunc litterarum litteratorumq; amorem atq; cultum aut parvi pendunt, aut cum assequi non valeant, negligunt. Certè si Principes hi viri, nihil literis, nihil literatis inesse ad bonum publicum scivissent, non tantis sumptibus Academiæ extruxissent, non privilegijs immunitatibusq; tam præclaris ornassent, hodieq; ornarent, non ad clarum Reipublicæ regendum ex ijs, tam multos petissent, non tantum curarum deniq; in gratiam litterarum ipsi suscepissent. Id profecto tantò majore laude pariter sui, atq; Reipublicæ commodo, quantò majori ludibrio sese exponunt, quicumq; secius faciunt. In probro & infamia hodieq; est. Licinius qui cum litteras omnes ignoraret, litteratos pestem Reipublicæ appellabat, & inter eos Oratores & Philosophos summo odio prosequabatur.

Nec laudi datur Ludovico XI. Galliarum Regi, qui prudenti, scilicet, consilio Filium Carolum omnium bonarum artium rudem esse voluit, Ne esset, ut aiebat, in consilijs capiendis refractor & tenacior sui sensus. Latine verò scire, plane vetuit, una hac sententia excepta. Qui nescit dissimulare, nescit regnare. Ita miserrimus Princeps amplissimi regni administrationem accessit, nulla propria prudentia instructus: sed trium aut quatuor indignissimorum homunculorum mancipium magno sibi & Gallia damno fuit. Ignorabat tantus licet Rex quantum Dei donum esset ea sapientia, quæ nos primùm ad ejus cultum, deinde ad jus hominũ, quod situm est in generis humani societate, tum ad modestam magnitudinemq; animi erudiret: eademq; ab animo tanquam ab oculis caliginẽ dispelleret, ut omnia supra infera, prima, ultima, media videremus. Prorsus hæc cum Cicerone divina mihi videtur esse vis, quæ tot res efficiat & tantas, ita ut iure de ea exclamare possim: O vitæ Philosophia dux! virtutis indagatrix, vitiorum expultrix, quid non modo nos, sed omnino hominum vitæ sine te esse potuisset? Tu urbes peperisti, tu dissipatos homines, in societatem vitæ convocasti, tu eos primò inter se domicilijs, deinde conjugijs, tum literarum & vocum communione junxisti, tu inventrix legum, tu magistra morum & disciplina fuisti. Nullum bonum Philosophia prestabilius neq; datum mortalium generi Deorum munere neq; dabitur. De illa autem Philosophia loquor, quæ nullum bonum putat, nisi quod honestum est, quæ nec hominis, nec fortuna muneribus deleri potest.

Qui

Qui ea instructus est, nonne divini quiddam vobis sapere videtur? nonne talis melius Rempublicam rectorus est eo, qui nec ubi Sol oriatur nec ubi occidat cum Polyphemo novit? Humilis est inscitia, res abjecta, sordida, servilis, multis affectibus & servissimis subdita. Multa sunt incommoda in vita, quae sapientes commodorum compensatione leniunt, rudes verò nec vitare venientia possunt, nec ferre praesentia. Quibus consideratis rectè contra Sallustium Cicero: An ullum putas fieri posse civem egregium, qui eloquentia artibus & bonis disciplinis non sit eruditus? an ulla alia esse putas rudimenta & incunabula virtutis, quibus animi ad gloria cupiditatem alantur? sicut enim terram antequam semen illi mandes, subigi prius & arari oportet: ita animus ejus, qui ad clavum Reipublicae regendum est adhibendus, honestis prius disciplinis est excolendus.

Non abs re itaq; beatissima illa pronunciat Respublica, ubi aut Philosophi regunt, aut Reges philosophantur. Sed & beatæ prædicandæ sunt Academiae, tantarum beatitatum causæ. Beata etiam tam sancti & salutaris corporis membra. Atq; adeo o felices vos, & o beatos, quibus in Palaestris istis honestarum artium exercere licuit, licet q;! o vos ter quaterq; beatiores Candidatos humanissimos, quibus non saltem illic exerceri datum, verum etiam tantos facere profectus, ut honores vobis magistrales jam decernantur. Merito igitur gratulor, & Reip. & vobis. Imo vos vobis ipsis congratulemini. Si enim miles, cum aliquid egregij in militia præstitit, ideoq; donarium aliquod accepit, omnibus

obvijs gloriatur, testimoniumq; virtutis ostentat; Cur non
vos etiam merito vestro in posterum gloriari possitis, qui in
togata hac seu literaria militia, & strenuam navastis ope-
ram, & reportastis inde honores quos concedere possumus,
maximos. Quos cum merito vestro tollatis, satis quippe ex-
plorati cognitiq;, Te Excellentissime, Clarissime juxtaque
Prestantissime vir, pro tempore Facultatis Philosophicae
Decane spectabilis, Domine Doctor VVeckere, Facultatis
Physices Professor dignissime, etiam atq; etiam oratum volo,
ut biduano hoc publico, & privato illo examine satis rigoro-
so contentus, tertij diei examen, in mei reliquorumq; Domi-
norum Reverend. Clar. atq; Excell. Professorum gratiam,
Dominis Candidatis condonare velis: Vicissim me tibi ad
grata quaevis officia promptissimum: Dominos
verò Candidatos etiam gratissimos
experturus.

D I X I.



III. ORA.

III. ORATIO.

Habita in templo Arcis, cum Re-
toratu abdicaretur, 1. Maij Anno 1616.

V T primum sanctam hanc civitatem ingressus
sum, & incolere cœpi, Auditores Reverendi,
Clariss. atq; Excellentiss. tuq; Juventus Nob.
ornatissima, animadverti hanc esse spiritua-
lem Hierusalem, descendantem de cœlo à Deo,
habentem claritatem Dei, & lumen simile lapidi pretioso
tanquam adamanti chrystallizanti, habentem murum al-
tum, nullis Satanae technis expugnabilem, habentem portas
duodecim, seris Scripturae Sacrae ita munitas, ut nulli hereti-
co per eas, sine confusione, transitus pateat. Nonne enim
hic est locus quem elegit Dominus, ut sit nomen ejus ibi in-
perpetuū? nonne hic est positus lapis ille angularis, ad quem
alliduntur hostes Agni, qui inebriati sunt calice abominatio-
nis? nonne hinc primum exiit gladius ille acutus &
anceps, qui fudit, & ferè pessumdedit Meretricem
illam, quam adorare solebant Reges & Principes
terra? Hac est certè civitas Regis magni, Regis Re-
gum, & Domini Dominantium, cujus fama exiit
ad

ad Orientem, Occidentem, Meridiem, & Septentrionem.
Quis enim populus? quæ gens? quæ hominum natio? vel tam
barbara atq; immanis, vel tam inexculta disciplinis atq; ar-
tibus, quam non jam pridem florentissima VVittebergensi-
um Academia, non gloriâ modò & splendore nominis, verùm
etiam admiratione compleverit. Quàm venerandus hic lo-
cus est? Non aliud certè quàm Domus Dei, & porta cœli.
Hic est mons ille sanctus, in quo stat Agnus, & cum eo can-
dido amictu ornati, & palmas ferentes, qui non sunt ingressi
ad Meretricem illam sedentem super Draconem, habentem
capita septem, neq; sunt signati sigillo confusionis: hunc lo-
cum elegit Jehova altissimus, Fortitudo nostra, in quo cum-
primis repurgaret, conservaretq; Doctrinam, vappis senti-
naq; Bestiæ corruptam. Hunc locum destinavit in habita-
culum filie regis sponseq; suæ, quam diligit præ filiabus homi-
num. Magnus Dominus & laudabilis nimis est in civita-
te Dei nostri, in monte sancto suo. Pulcerrimum clima, exul-
tatio universæ terræ, Deus in palatijs eius agnoscitur, quod
sit susceptor, hic est DEUS, DEUS noster in sæculum sæculi,
& ipse reget nos in sæcula. Beati inhabitatores Domus tui,
Domine, beati qui stant coram te, & audiunt sapientiã tuam.
Quantò verò beatior latiorq; hic Ecclesiæ facies; tantò
tristior & obscurior squalor eam occupavit, quæ Mahome-
tano Tyranno subacta, aut vicinior facta. Cujus memoria
cum non minùs obversari nobis cottidie debeat, quàm sanis
morborum & in valetudinis impendens periculum: constitui
in hac solenni panegyri, cum aliàs etiam secundum invete-
ratam

ratam consuetudinem aliquid à me expectetur, miserabilem eorum conditionē, qui sub immani Tyrannide Turcica degunt levi quasi depingere penicillo. Ad cuius sedulam auscultationem, Auditores Rever. Excell. Consult. atq; Clariss. humanissimosq; invitarem, si de ipsorum vel benevolentia vel attentione promptissima quicquam dubitarem. Quod ne facere videar, propositum nunc rectè, sine ambagibus, aggredior. Ubi quidem non opus esse censeo, ut multis vobis autorem tanta in Ecclesiis miserie describam. Nimis ea, nimis, proh dolor! nota est. Nimis universo terrarum orbi cognita, nobis verò penè familiaris est Bestia illa horrendissima, immanissima, qua nihil unquā perniciosius aut natum hactenus, aut post hac nasci poterit Turca. Turcam cum dico, simul atq; pronuncio, exhorresco: quippe quem si nomina veris, omnem impietatem, immanitatemq; uno verbo complexus eris. Neq; enim nomine tantum gens illa est horrenda: sed & ingenio & moribus planè detestandis. Habet supremum, quasi Monarcham, quem ipsa quidem Casarem; nos verius tyrannum vocitabimus. Tyrannus profecto est. Ut enim taceam de tyrannica illa alieni Imperij invasione, occupatione, devastatione, olim per illum, contra omne jus gentium facta, id quod iniquè rapuit, iniquissimè possidet, se vitia miratur, sanguine ac cadibus onerat, rabie plusquam ferinā extendit. Nulla illi lex iusta, nulla pietas curatur: quin solenne potius illud nefarium: Licet, si libet. Solenne illud, omni bono Principi alioquin abominabile,

Sic volo, sic jubeo, stat pro ratione voluntas.

F

Ita

Ita ut mirari nemo satis possit, qua ratione fiat, quod ipsius
Regnū injustitiā acquisitū, crudelitate stabilitū durare tam
diu potuerit, hodie q̄ possit. Praesertim cum Tyrannus non in
amore, verū in timore sui potētiae suae stabilitatē collocet;
nō interim perpedens, odio habere subditos eum quem timet.
Unde etiam cuncta ferit, dum cuncta timet. Neq̄ enim fa-
miliarissimis suis aut intimis fidem adhibet plenā, neq̄ cujus-
quam potentiae quamvis à sese locupletat & fidit: Adeo quidē,
ut etiam quos ipsa natura sanguinis necessitudine conjunxit,
eos dominādi libidine furiat, non dissolvat solummodo aut
discindat, sed & iniquissimè excindat. Ita ut nimis verè hic
dicatur, quod Poëta vetus de vetere & damnato seculo:

Non hospes ab hospite tutus

Nec socer à genero, Fratrum quoq̄ gratia rara est.

Imminet exitio vir conjugis illa mariti.

Lurida terribiles miscent aconita noverca:

Filius ante diem patrios inquirit in annos.

Quin & ipsi Patres filiorum vitæ insidiatur, eorundē & au-
tores & homicidæ. Quæ verò summa illa inhumanitas, Pa-
trē filij fieri carnificē: Filium patris manu interfici, fratrem
fratris vitæ insidiari? atq̄ ita in proprium sanguinē debac-
chari. Quod tamen usitatissimum, imò lege & c. Otto-
mannus hujus gentilitatis & familiae primus Imperator,
qui à vico Galatiæ Ottomanze dicto, nomen accepit, Se-
cundo Orchano sceptrum solo desiderio regnandi duos fra-
tres suos Germanos occidit. Amurathes filius, in Im-
perio successor, Solymanum fratrem suum trucidare jussit.
Quippe quod barbaro hoc nititur fundamento, ut quicquid
regno obstare videtur momētaneā neci detur. Calepinus Ba-

jazeti filius Orchano & Mahomete superstitibus mortuus;
Mahomet Orchanū nō minus nefariē quā impiē neci dedit.
Mahomet II. unic⁹ superstes, Imperij gubernacula, ut Tigris
accepit. Amurathes Pater ejus moriturus, Thursinū, suum
in cunis filiū ei cōmendat, at ipse post mortē illius infantem à
matre adhuc rubentē, in quē nulla affectu regni suspicio ca-
dere potuit, spectāte matre è cunis raptū mantilib. collo inne-
xis suffocat; causatus legē necessitatis a vitā, majorib. suis nō
infrequens fuisse, præter unū in Imperio ferre neminem,
cum nō plures uno Deo in Cœlis, & totidē Soles in Mūdo sint.
Selymus X. præterquam quod Patrem Bajazatū sub specie
pharmaci veneno enecavit: Amurathē & Curchutū fratres
suos, tresq; Curchuti filios interficere jussit. Sultanus quoq;
summus ex eorū grege, nō ita pridē, uxorē sola suspicione &
zelo damnavit, ipse spectator illā demergi, & quasi hoc parū
esset, etiā Filiū laqueo suffocari, quosdā famulos utriusq; se-
xus circiter 14. ministros, mortis socios fieri jussit. Principē
obtinēt locū Mahometus III. in ordine fratricidarū Impera-
tor, hic n. 19. fratres germanos, neci crudelissimā dedit. Hanc
impiā & execrandā consuetudinem, imò legē tam sanctē illi
colunt, tam strictē observant, quam tamē nec obtrusam sibi
Lupi, & Hyenæ, & vix Tigrides ipsæ admitterent. Quid ab
his itaq; Divini simul & humani juris violatorib. clementia
in subjugatos expectandum? quid misericordie ab ijs, qui in
viscera propria sævire gestiunt? si tales in se & suos sunt,
quales quæso in alium? si quis talis in subditos, qualis quæso
futurus est in hostes? Draco, Leo, Cerberus, atq; bis etiam.

crudelior. Mea, probo dolor! Patria, illud antemurale totius Christianitatis, quæ à ducentis jam annis impetum hujus Tyranni sustinuit, experta jam abunde est insanum Mahumetani Tyranni furorem. Experti nostri consanguinei, quorū bona, imò optima pars aut mactata crudeliter, aut intolerabili jugo subjecta est. Nos tandem ipsi partim experimur, partim metuimus. Causam ejus rei nullam aliam in Turcico cane reperio, quàm dominandi libidinem, & cupiditatē immensā: quam nec tota Asia, nec Africa universa, nec potior Europæ pars, imò nec omnis Orbis explere, nedum exsatiare potest. Hæc inflammatus neq; D E U M quicquam veretur, (quippe cujus unigenitum filium, Sanctumq; Spiritum impuro animo contemnit, ore blasphemus lædit,) neq; homines, aut jura humana ulla. Quæ enim fœdera barbarissimæ genti sancta aut inviolata? Sancit equidem servatq; dum commodum est, id est, dum occasio injuriæ inferendi deest, dum cum Persa, aut alio hoste bellum gerit; sed si vel minima bonæ occasionis aura aspirat, nō eum fides, nō pietas, non conscientia detinere potest, quin omnia turbet, rumpat, violet, profanet, evertat. Arma induuntur, exuitur pietas, fides somnisq; fœderum memoria: Quæ ne fortè redeat, furore ascititio prohibetur. Quotiescunq; enim arma induuntur, prius potior pars militum Turcicorum pharmaco quodā, Maslag dicto, animatur; quo hausto, cæco impetu, quasi furibundi sine timore, sine sensu tandem omni, per media arma, per ignes, per aquas, per tela, per hostes ruunt, sylvas, cæposq; vociferationibus, aërem missilium nimbo, terram hominum cadaveribus implent. Ibi videres capita volatilia ictu tormentorum

dispulsa, videres manibus pedibusq; orbatos, sicâ perfos-
sos. & miserrimum in modum tractatos. Et adhuc vide-
res hîc, qui si victis tum perire datur, beatos se existima-
rent, modò ne vivi in eorum devenirent potestatem, qui
captivos suos cruciatibus morte peioribus, cottidiè cru-
ciant enecantq;. Tum demum victor insultare victo inci-
pit, tum furorem odiumq; suum in Christianos omnibus
modis exerit, atq; in eos horresco referens ultrà modum
sevire solet.

————— *Quis talia fando*

Myrmidonum, Dolopumve, aut duri miles Ulyssis

Temperet à lachrymis? —————

*O tyrannidem! ô immanē & ineffabilem sevitiā! Non
satis est quod victoria potiti, omnia obvia sternunt, atq;
excindunt, non matronis, non virginibus, non pueris, non
puellis, non tandē lactentibus parcunt, è gremio matrum
infantes excipiunt, cædunt, mactant. Non satis, inquam,
est sic sevire, & unâ momentaneâ morte grassari: Quin
etiam, si quem vel pulchritudo libidine commendat, vel
auri fames, vel crudelis tandem misericordia tuetur,
mille cruciatus, atq; adeò mille mortes metuendæ, susti-
nendæq; sunt. O beatos tum, qui vixerunt, ô beatos ste-
riles! beatas matres quæ nunquam pepererunt, lactave-
runtque. Quid existimatis, Auditores charissimi, quis
tum matrum, quis patrum animus, cum vident ex se pro-
genitos, quibus ensis pepercerat, ad diram, ineffabilemq;
captivitatem abductos. Quis animus filiorum, filiarumq;*

F 3

con-

consortio dulcissimorum genitorum abstractorum. Centies profectò mori mallet, quam vel semel, in istorum canum devenire potestatem. Quando enim captivis, & miserimâ potiti turba, eam statim dividere solent, & ignobiliores quidem aut artibus mechanicis, militaribusque non imbutos, Mangonibus (quorum copia magna semper victoriam Turcicâ in castris præstolatur) divendere solent. Sunt autem illis catenæ oblongæ, ad quas aliquam multos Christianos alligare consueverunt, & instar pecorû ad partes maritimas agere, ubi die ita nocteque aeris iniquitati expositi manent, cibû admodû in parva quantitate accipiunt, noctem sub diu agendo, ligati pedibus manibusque transigunt. Tum potior pars ad remos agendos damnatur, pars verò agrestioribus laboribus, sine omni spe libertatis, aut reditus in Patriam, præficitur. Infantes autem, quibus omnium maximè inbiant, molli quidem, ut ætas illa fert, tractare consueverunt, Sed ad pejora reservant. Quàm primû enim excefferunt Ephebis, indole spectatâ, & ingenij inclinatione sedulo observatâ, eos in tres potissimû partes partiuntur: & robustioribus quidê, militaribus exerceri exercitiis curant: quos deinde adultos plerumque Janichzaros creant, quibus contra Patriam, contra Consanguineos, atque Patriotas bellandum. Imbecilliores autem mechanicis artibus excolendos tradunt, quos deinde perpetuis penè obruunt laboribus. Formosioribus verò (proh facinus) turpissimè abutuntur, Sodomiceque libidini, impuritate pestiferâ destinant. In virili autem ætate comprehensos, primum
quidem

quidem blandis verbis cujates, quales, quantarū opum & facultatū sint, interrogare solent; quod si vel minimam suspicionem in eorū aliquem habent, eum falsum dixisse, mille modis talem excruciant. Et ex eis Magnates mitius tractant, sed fortius validiusq; & custodiunt, & si liberari volunt, emungunt. Nobiles, aut mediocris conditionis, cum primis bello captos, plerumq; omnes pro militibus aestimant, ideo etiā miris modis tales excruciant, tenebrisque inclusos, cum rara spe liberationis dirè torquent, & non nisi maximā depositā pecunie summā, emittunt. Plerosq; tamen bello aptiores, quali quali occasione captatā, aut necant, aut ad partes transmarinas ablegant, atque ita perpetuæ captivitati damnant. Postquam de viris dictū, restat ut de feminis quoq; pauca subjungam. Verisimile quidem videretur, eas non ita duriter tractari, nec ita laboribus, quippe imbecilliores, obrui. Sed quid Tyrānus hic, sexus ætatisq; rationem curat! Quid hunc lacrymæ, ejulatusque mulicbres movent? Non (ita mihi Musæ sint propitiæ,) ulla unquā bellua in Christianitate, tam crudelē in modū tractatur, ut hic sexus miserabilis sub illa carnificina. Quis enim, per DEUM, adeo sanguinolenti tyranniciq; esset, atq; saxei cordis, qui non, si non aliis, tamē prægnatibus, & partui vicinioribus, parceret? Quibus tamē tantū abest, ut parcant Turcæ, ut potius magis magisq; eas affligant. Non possū quin referā Auditoribus spectatissimis Ornatissimisq; Exemplū quoddam Tyrannidis hujus & sevitiæ Turcicæ in parturiētes, quod in Patria mea
tempo-

tempore tumultus & seditionis illius Bottczkaiana con-
tigit; quodq; unum ad docendum quod volo sufficit. Cum
in Comitatum Nitriensem, ad oppidum Czheitaviam.
Turca Tartariq; populabundi venissent, indeq; jam redi-
tum pararent, inter alios captivos captivasq; quandam
pregnantem mulierem hostis agebat, quam, cum propter
partus vicinitatem, pari passu, ut reliqua, pergere ne-
quiret, vincam ille in equum sublevavit, ibi miserabili-
ter colligatam, & per equum succussam, dolores partus
invaserunt; Rogat obtestaturq; per omnia sacra, ut saltē
pariendi facultas sibi concedatur. Quid ad hæc Tyran-
nus? Equidem eam equo deponit, non tamen aut ab ocu-
lis reliquorum removet, aut relinquit; sed astat partu-
rienti, & enixam ut antè denuò vincit, abripitq; infan-
tulo deserto, & equorum insequentium unguis relicto.
Jam cogitate, Auditores charissimi, an ulla hac atrocior
Tyrannis esse possit? parturientem affligit, ludibrio expo-
nit, infantulum recens natū matri eripit, bestiis concul-
candum abijcit. Non eum matris ploratus & ejulatus,
non infantuli vagitus, non pietas, non ulla misericordia,
ad id adducere potuit, ut has duas animulas invicem co-
habitare, matremq; partum suum educare sineret. Deum
quamvis tūm nobis meritò iratissimum, misertum hujus
est, qui effecit, ut infans tamen salvus maneret, à Chri-
stianis repertus educaretur, hodièq; in Nobilis cujusdam
famulatio viveret. Sed dicet aliquis, unam hirundinem
non facere ver, non statim ita colligi: Unus hoc fecit,

Ergo

Ergò etiam reliqui Tyranni sunt. O utinam hoc saltem exemplum haberemus, verendum esset! Sed non mihi si oraculum totidemq; linguæ essent, omnia exempla enumerare possem.

————— Tu crimine ab uno

Disce omnes.

Quot, per Deum! prægrates matres dissectæ? Quot igne crematæ? quot aquis suffocatæ? Atq; hæc quidem de prægnantibus. Quid autem virgines & mulieres vegetiores? ut supra de adolescentibus dictum, Eas quoq; dividere soliti sunt, & partem quidem in concubinas seligunt (licet enim Turcis tot habere uxores, quotcunq; alere possunt) Partem verò laboribus panè servilibus destinant. Hic certè sexus omnium sub tyrannide illa miserrimus. Præterquam enim quod duriter tractatur, omnis etiam spes elabendi præcluditur. An non autem miserum est, post decennalem captivitatem, ne diei sibi libertatem polliceri posse? Annon durum, liberas olim, jam famulas esse? Nobiles rusticas? Rusticas pecorum instar haberi? Quemadmodum autem Diabolus, ex quo Turcica gens originem suam continuata serie ducit; Quemadmodum, inquam, ille non statim pœnas infernales, stygias paludes, mensas Tantaleas, conscientiaq; furias, hominibus seducendis proponit; sed prima facie omnia optima, jucundissimaq;: ut eos quasi inescatos & visco voluptatum colligatos, una cum anima tandè baratro biatug; illi infernali facilius præcipites det. Itaq; quoq; Turcæ, ne

G

forte

forte degenerasse à virtutibus majorum videantur, eam studiosè emulantur. Nec enim illi tyrannidem, de qua haecenus dixi, in eos quos quidem in casses suos agere conantur, Musulmanos q̄ fieri volunt, primis statim diebus exercent, quin potius ijs & verbis blandis, promissionibus q̄ operari, & donis magnificis obblandiuntur, ut saltem ad se pertrahere queant, ad circumcissionem atq; abnegationem Salvatoris nostri perducant. Cum autè ita in bivio homo Christianus constituitur, utrumvis, sive circumcissionem admittat, sive fidem Christianam retineat, non tamen tyrannidem ejus gentis evitare poterit. Si enim Mahometum sequatur, & Christianam fidem spe lucri abnegabit, præterquam quod aeterna damnationi animam post mortem diaboloq; debet; promissa quoque illa magnifica in fumos abiisse, & blanditias nihil nisi deceptiones fuisse, suo malo tandem, serò tamen, animadvertet. Plerumq; enim tales, cum primis ætate matura Mahometani facti, agosones creantur, stabuloq; præficiuntur; digni sanè tali præmio, quippe qui fluxa atque inania aeternis stabilibusq; permutare voluerunt. Qui autem nec Christum abnegare, nec eorum persuasionibus moveri sese patiuntur, quod potiore quidem partem captivorum hæcenus fecisse scimus. Non enim omnes tam impij atq; scelerati sunt, ut sese voluntariè Molocho isti Stygio consecrent, aut ita sui ipsius perditionis avidi, ut Christam, Dei filium, semel jam agnitum Salvatorem suum, Redemptorem, cœli terraq; creatorem abnegent, castraq; Draconis sequantur? ut temporalia hæc atq; vana, aeternis præferant?

rant? Qui igitur, inquam, fide sua sese dejici non patiuntur,
ij intruduntur horrendis carceribus diris q̄ tractantur mo-
dis. Non enim ulla arx Turcica, non oppidum aliquod re-
peritur, ubi execrabiles carceres deessent; pleriq̄ autem aut
Cimmerijs tenebris obscuri, aut serpentum, bufonumq̄ copia
scatentes, quibus accedit locus etiam ipse paludosus, aut sal-
tem humidus, ut ad putredinem, atq̄ adeò pediculorum pro-
gignendorum modum sit aptissimus; unde fit, ut Christiani
nostri, magis de injuria ab animalculis istis sibi perferenda,
quam de ullo alio malo conquerantur. Ut enim ex fide di-
gnis habeo, quiq̄ ipsi hoc malum suo malo experti, referunt;
tanta vermium vis atq̄ copia in carceribus Turcicis abun-
dat, quantum apud nos pulveris seu sordium in talibus locis
reperitur; ita, ut etiam necesse sape sit fuerit q̄ hoc pusillum,
& magnum malum, manu, instar pulveris alicujus vestibus
excutere. In his autem, & similibus carceribus non paucos
numero, sed quàm plurimos, uno eodemq̄ tempore, captivos
detinere solent Christianos, interdum autem adeò multos, ut
etiam de loco certare cogantur. Unde patet quàm mise-
rum in modum habeantur captivi apud Mahometanos. Nec
enim Solem, dieiq̄ atq̄ noctis distinctionē videre, atq̄ anim-
advertere possunt, quin potius perpetuas tenebras incolere,
necesse habent. Non illi ver flores, nō autumni fructus pro-
duxisse sciunt, sed perpetuas nubes, atq̄ tristissimas tem-
pestates, ob putredinem occlusi aëris, in cavernis illis
suis subterraneis experiuntur. Quàm adversum au-
tem sit vel in amœnissimo loco, continuè annum aut duos

sine omni etiam alio incommodo jacere; qui vis sana quidem mentis & vel exigui iudicij iudicare potest. Quanto itaque acerbius non in aliquo grato loco; sed in tenebris superstratum lapideum, inter pediculos, in luto, squalore, sordibus, perpetuis mœroribus atque trepidationibus, sine ulla aliqua spe liberationis volutari. Nonne itaque miseri dicendi qui hæc talia patiuntur? nonne Tyranni, Tyranni autem, imò carnifices, qui in hunc modum in homines sæviunt? Horrenda quidem hæc, sed age magis horrenda, imò magis execranda atque abominanda tyrannidis Turcicæ indicia videamus: Videamus inquam, quomodo in tales sæviant, quos non carceribus damnarunt, verum excruciare aut privare vitâ constituunt. Habent caveas ferreas, quibus cum primis vi expugnata provincia aut regionis, item arcium atque munitionum vi captarum atque subjugatarum præfectos includunt, ibique fame atque inedia absumunt: habent etiam pælos atque uncas ferreas quibus affixos suspensosque muscis calorigue Solari exponunt. Et hanc tyrannicam sævitiam experti sunt propemodum innumeri Christiani Græci, qui pertasidurissima servitutis, ob victoriam Christianorum navalem contra Turcas propè Naupactam ad recuperandam libertatem paulo se audacius commoverunt. Habent tormenti genus præterea stipitem, quem per medium corpus adigere soliti sunt, atque ita affixum cadaver relinquunt: hæcque carnificina Turcis omnium familiarissima. Sed ego operam simul & oleum mihi perdere videor, cum enumerare tormentorum genera apud Turcas usitatissima volo: tantum enim abest ut

ea

ea efferre, aut enumerare possum, ut ne mente quidem
concipere valeam. Quaecunque enim tormenta in ple-
tendis maleficis, Germania, Gallia, Hispania, Italia, &
totus deniq; mundus habet, ea una haec gens mihi habere
videtur. Quod testabuntur, quotquot unquam sub ejus
potestate aut degunt, aut Deo auxiliante hoc jugum ex-
cusserunt. Haec tamen omnia parva esse odij sui in Chri-
stianos iudicia, Tyrannus Byzantinus existimaret, nisi
etiam conscientias subjugatorum extinctione nominis
Christiani crudelissimè affligeret. Quando enim aliquã
ita obtinuit provinciam, ut remotior ea fiat à reliqua
Christianitate, neq; amplius commercia aliqua habere
cum nostris possit, non modo sacrorum usum atq; verbi
divini praedicationem ei interdicit, sed ne mentione qui-
dem Christi Salvatoris, aut Evangeliorum sacriq; codicis
fieri in ea permittit. Testantur hoc insulae Chiensis inco-
la; qui postquam satis inescati fuissent, spe illa libertatis
(quam multi cum periculo à tyranno Constantinopolitano
expectant) non modò privati sunt eã, gravissimaq; atq;
ineffabilia perpeffi: sed etiam Christo paulatim amisso,
Mahometismum amplecti coacti sunt. Testantur idem
Bosnenses, qui praeterquam quod libertate carent reli-
gionis exercenda, etiam decimationem suae prolis, libero-
rumq; admittere coguntur. Idem quoq; Graeci experiun-
tur, qui etiam indies religionis Christianae extirpatione,
Mahometismi verò amplificationem, non sine ingenti do-
lore nec sine liberorum, addo & animae ipsius iactura, ani-

advertunt. Quid nunc de aliis regnis provinciisque dicam, que cum Asia in illam barbaricam tyrannidem devenerunt? quid de Africa universa? que (proh dolor!) etiam hoc malo jam tota obruta, Christoque atque eius divino verbo orbata est. Certè ibi non vel minima apparent Christiane religionis pietatisque rudera: omnia sunt obscurata, lacerata, diruta, pessundatque sacrorum exercitia: abrogata orthodoxa religio, annihilata precepta ut divina, ita humana. Non secus ac bruta, et sine Deo vivere, et Tyrannidem illam Byzantini Draconis ferre miscoguntur. Quot ibi per Deum! invenirentur, qui si hanc, quam nos (ex Dei gratia) habemus, haberent religionis exercenda libertatem; noctes diesque in genua abjecti Deum suum colerent? quam queso illi avidè hunc divini verbi rorem haurirent? quas gemmas bonorum operum proferrent? Ipse mihi videre videor eorum devotionem, erga sacrosancta Sacramenta pietatem, erga Ministros verbi reverentiam, divini denique verbi observandi diligentiam, si modò idem ipsis liceret per Turcas, quod nobis hætenus licuit. Non licet autem, non licet per Tyrannos, inquam, quod non sine lacrumis proferre possim. Ut enim supra dixi, ab hoc pietatis exercitio multèis, carceribus pœnarum atque cruciatuum multitudine, morte denique ipsa arcentur, omnium mortalium miserrimi. Nonne hoc autem tyrannicum, liberos à parentibus abduci, mactari, aut captivitati ineffabili velut consecrari? nonne abominandum in hominis conscientiam tanta atrocitate servire? priva-
tione

tione verbi atq; Sacramentorum excarnificare. Hac au-
tem omnia & adhuc crudeliora cottidie perpetrat Ty-
rannus Byzantinus, in hunc modum sevire solet in suos
vasallos subditosq; In conscientias Christianorum, qui
eundem olim nobiscum colebant DEUM, idem audie-
bant verbum, eadem frequentabāt Sacramenta: Nostri,
ô cariss. Aud. nostri, inquam, consanguinei hæc patiuntur,
illi hoc jugum ferre coguntur. Quod & nobis jure metu-
endum, ideòq; divinum implorandum auxilium. Vicina
enim, id est nostra jam res agitur, nobis jam proximus ar-
det Ucalegon. Age itaq; unanimis votis, unanimo corde,
auxilium Iehovæ imploremus, utq; à nobis hanc tyranni-
dem velit avertere per & propter meritum Christi di-
vina ejus Majestas, supplici corde rogemus; cum Psal-
mista dicentes: Miserere nostri Deus, secundum magnam
misericordiam tuam, & secundum multitudinem mise-
rationum tuarum dele iniquitates nostras. Usquequò
Domine oblivisceris nostri in finem? usquequò avertes
faciem tuam à nobis? usquequò exaltabitur inimicus
noster super nos? respice & exaudi nos, Domine Deus
noster, ô Pastor Israel ausculta, qui deducis velut ovem
Ioseph, qui sedes super Cherubim, manifestare. Excita
potentiam tuam & veni ut salvos facias nos. Adjuva nos
DEUS salutis nostræ, propter gloriam nominis tui Do-
mine libera nos, & propitius esto peccatis nostris pro-
pter nomē tuū, ne forte dicant in gentibus, ubi est Deus
eorum? Innotescat inter gentes corā oculis nostris ultio
Sanguis

Sanguinis fervorum tuorum, qui effusus est: introeat in conspectum tuum gemitus compeditorum. Deus exercituum revertere quæsumus, & respice è cœlis & vide & visita vitem quam plantasti inter nos, sed & cujus sepes rupisti, ut discerpant eam omnes transeuntes viam, ut consumat eam aper de silva: & feræ agrestes depascant. Deus qui repulisti nos, ne exeas ab exercitibus nostris, da auxilium in tribulatione, VANA enim SALUS HOMINUM. Ut in te faciamus virtutem & conculces hostes nostros. *Nos autem populus tuus, & oves pascuæ tuæ confitebimur tibi in seculum: in generationem & generationem annuntiabimus laudem tuam.*


Ceterum, quod felix faustumq; sit, Academiæ Reip. publicæ huic scholasticæ, ad id quod nunc potissimū agendū restat, cum bono Deo accessum jam faciā, curq; hunc augustissimum occuparim locum habita temporis ratione brevibus edisseram. Semestre jam est, Viri R. Clariss. atq; Excell. tuq; Juventus ornatissima, semestre jam est, inquam, elapsum, ex quo Rectoratus hujus Reip. Literariæ mihi, atq; Viro Excellentissimo Dn. D. Ernesto Hettenbachio, Facult. Med. Seniori atq; Medicinæ Professore Publico concreditus fuit. Quem si ita, ut quidem Autoritas Patrum conscriptorum postulabat, & muneris concrediti dignitas exigebat, hætenus gessimus, est quod meritò gratulemur, DEOq; cum primis Opt. Max. pro viribus in administratione suppeditatis gratias immortales agamus. Sin minus; cogitetur, nos quoq; homines fuisse,

fuisse, nec à nobis quicquam humani alienum putare. Quare
etiam atq; etiam rogamus, ut si forte quid ex lapsu ingenij à
nobis prætermisum, aut ex imbecillitate nostra commissum,
id pallio caritatis tegere, nosq; ut hæcenus, in posterum
quoq; benevolentia vestra prosequi ne dedignemini. Da-
turi sumus uterq; vic sim sedulam operam, ut beneficij huius
accepti nunquam nos immemores futuros certò experiami-
ni. Et ego quidem cum primis habeo, cur P. C. agam grati-
as immortales, cum ob hæcenus in me collata beneficia, ut in
studijs ita in alijs humanitatis officijs, tum præsertim ob
hunc honorem Reçtoratus mihi delatum. Non sufficere
vobis videbatur, singulariq; vestra humanitati, si me pe-
regrinum nunquam ante id tempus visum, & pæne ignotū,
benignè informaretis, humaniter tractaretis, omnibusq; of-
ficijs prosequeremini, nisi etià in hoc honoris fastigiū, me eve-
beretis, atq; adeo benevolentia vestra testimonijs abundè
cumularetis. Itaq; & vobis P. C. pro tanto beneficio gra-
tias habeo, habeoq; maximas; & tibi Nobilissima, Doctiss.
Ornatissq; Juventus, pro humanitate, amore, cultuq;
tandem inexpectato licet, insperatoq;. Utinam atq; uti-
nam daretur mihi occasio vel de universis vobis vel de sin-
gulis ita merendi, ut gratum meum affectum, ex facto ipso
potius, quam hisce verbis, (verbis tamen ex intima mente
productis) cognoscere possetis! Certè quamvis corpore lon-
gissimè à vobis abfuturus sim, animo tamen hic inter vos
peregrinabor, vestrosq; vultus, tanquam presentes in hu-
manitatis vestra memorià intuebor. Quod antequam fiat,
H faciam

faciam, prius, quod consuetudo hujus Academia, & P. C. au-
toritas imperat. Meo itaq; loco successorem nominabo, vo-
bisq; Rectorem relinquam. Ut enim sine pastore gregem,
ita sine Rectore Remp. esse, est periculosum. Quare te, Vir
Clariss. atq; Excellent. Domine Ambrosi Rhodi, Medicina
Doctör, & Mathematicum in hac Academia Professor Pu-
blice, autoritate Imperiali atque Electorali, de consilio &
sententiâ P. C. Rectorem Academiae VVitebergensis pro-
nuncio, pronunciatum autoritate eadem ritè confirmo,
confirmatum ab omnibus honorari atque pro Magistratu
in Rep. Literaria summo haberi coliq; volo. Simul etiam
insignia Magistratus Scholastici Tibi trado. Sceptra ni-
mirum hæc argentea, sigillum Academia, Librum quo statu-
ta continentur. Claves etiam committo, quibus œconomi-
am Academiae tibi concreditam, tam domi quàm foris esse
scias. Epomidem deniq; seu pallium, ut potestatis, Casarea
simul & Electorali autoritate concessa, & oneris à meis
meiq; hætenus Dn. Pro-Rectoris, Excell. D. Hettenbachij
in tuos humeros translata symbolum. Insuper verò oneri fe-
rendo, auxiliũ Dei Opt. Max. Magnific. T. opto, ut q; hoc mu-
nus amplissimũ feliciter gerere atq; administrare ipsa possit
ex animo precor. Tibi verò ò studiosiss. Juventus pacem
& tranquillitatem longissimam voveo. Sit jucunditas Do-
mini DEI nostri super vos, & opus manuum vestrarum di-
rigat. Dominus in cœlo memor sit vestrum, & benedicat
de cœlo domum hanc Israël. Adjiciat benedictionem super
vos,

*vos, & super filios filiorum vestrorum. Opto pacem VVit-
bergæ, salvi sint diligentes te. Pax sit in antemurali tuo,
& salus in palatijs tuis. Confundantur & retrorsum
convertantur omnes, qui oderunt Sion. Benedi-
ctio autem Domini maneat supra vos di-
ligentes ipsum, & pax super
Israel.*

D I X I.



Perillustri ac Generoso Domino,

Domino

Comiti EMERICO THURZO

de Bethlemffalva Libero ac Hæreditario Comiti de Ar-
va, ejusdemq; Comitatus Arvensis supremo ac perpetuo Comiti,
Palatini Ungariæ &c. F I L I O

*Rectori Academiae VVittebergensis Magnificen-
tissimo, Domino meo gratiosissimo, benignissimo.*



Um rursus genialis humus pubescit, & alium
prodit Majum, toti, Comes inclute mundo:
hæc adolescentis das prima pericula Musæ,
nata sub albiados summo moderamine, læto
succellu ingenij documenta Academica monstrans
palladio in nutritu finemq; laborum.

Quæ simul ut legit superùm sacer ordo; probantur
& meritò laudantur, ait, conamina tanta,

quæ virtute potens primâ hæc ætate patrisas,

& patriæ quod laudis habes imitamen adæquas!

Ergo THURZO Æ jubar, & nova gloria GENTIS,

Deliciumq;, EMERICE COMES, patriæq;, patrisq;,

Salve iterum atq; iterum, quas & tibi Leucoris alma,

Præco tuæ virtutis, ovans carit, accipe laudes:

Gloria magnificis te mox feret aurea portis,

&, quod amas, famæ decus immortale sequetur.

devotæ gratulationis, atq; obser-

vantiæ singularis ergo

latus lubensq; scribebam.

M. Ernestus Hettenbachius VVitteb.

Facultatis Philosophicæ Adjunctus.

F I N I S.


F 5202


● X 2614202

VO 17


[Handwritten signature]








6 ~~10~~



RECTORATUS
ACADEMICUS,
id est,
Orationes,
Quas
Comes EMERICUS
THURZO de Arvva; &c.
RECTOR hactenus Acade-
miæ VVittebergensis &c.
officij caussa publicè
habuit.



WITTEBERGÆ,
E Typographéo Johannis Richteri,
ANNO M. DC. XVI.